

DE  
ANGINA POLYPOSA.  
DISSERTATIO.

---

Cujus Partem Primam;

ANNUENTE  
CLEMENTISS. IMPERATORE ALEXANDRO I.

ET

APPROBANTE EXP. FAC. MED. ABOENS.

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT

NICOLAUS ABRAHAMUS URSIN,  
*Phil. Mag. Med. Licent. Chir. & Art. Obstetr. Adjunct. Ord.*  
*nec non Cancellista Imper. Coll. Med. Fennic.*

ET

FREDRICUS ROSEN BOM,  
*Stipend. Bilmark.*  
*Wiburgenses.*


In Audit. Med. die XXX. Nov. MDCCCXVI.

h. a. m. s.

---

ABOÆ, Excudebant J. C. FRENCKELL & FIL.

71.



DE  
ANGINA POLYPOSA.

---

**H**orrenda sane & quam maxime exitiosa inter morborum genera, quibus vexatur humanum corpus, *Angina Polyposa* merito numeratur. Non fere est alias morbus, qui citius aut insidiose magis irrepat, pluresque sepulchro tradat. Vix enim materna sagacitas imminente prius deprehendit ærumnam, quam perditus jacet alumnus, nec potest inevitabilis fati effugere necessitatem. Canæ hic morbus antiquitati vix aut ne vix quidem notus. Concedendum quidem est, Anginam Polyposam e recentiorum temporum flagellis haud esse, sed exstisso remotioribus jam temporibus; at aliis morbosis affectionibus, quæ ad ejus similitudinem quadam ratione magis minusve accesserant, confundebatur, & sic alienis ornata nominibus investigatoris diu admodum evitabat attensionem 1). Post Celeb. vero MICHAËLIN, qui, postquam in morbi indole & natura investiganda multum sudaverat, descriptionem ejus ex omnibus fere partibus absolu-

A

tam

---

1) Cfr. *Wichman Ideen zur Diagnostik*. T. II. pag. 112. sq.  
Hæc ejus sunt verba: Es bleibt mir daher auch sehr wahrscheinlich, das die Zeugnisse für das hohe Alter des Keuchhustens, welche der grosse Literator K. Sprengel in dem dritten Theile seiner ganz einzigen Werks (*Pragmatische Geschichte der Arzneikunde* s. 97.) anführt, grossentheils auf die häutige Bräune anwendbar sind, die man damaliger Zeit mit Keuchhusten verwechselte.

cam orbi litterario tradidit 2), clarior lux in hujus morbi  
 & Diagnosis & curandi methodum sparsa est. Celebre-  
 simi WICHMAN 3), LENTIN 4), FERRIAR 5), KRETSCHMAR 6),  
 GUTFELDT 7), MÄRCKER 8), HARLES 9), SCHÖNFMAN 10),  
 JONAS 11), AUTENRIETH 12), HECKER 13), HOME 14),  
 CHEYNE

- 2) De Angina Polyposa s. membranacea. Gottingæ 1778.
- 3) Ideen zur Diagnostik. Hannover 1794.
- 4) Beyträge zur ausübender Arzneiwissenschaft. Leipz. 1797.
- 5) Neue Bemerkungen über die Hundswuth, die häutige Bräune, den keuchhusten &c. aus dem Englischen von C. F. Michaelis. Leipz. 1801.
- 6) E. Horn Archiv für medicinische Erfahrung 1 Band.  
3 Heft. pag. 342.
- 7) Ibidem 8 Band. 1 Heft. pag. 69.
- 8) C. W. Hufeland Journal der praktischen Heilkunde 19 B.  
3 Stück. pag. 78.
- 9) Ibid. 6 Band. pag. 559.
- 10) Ibid. 20 Band. 1 St. pag. 88.
- 11) Ibid. 20 Band. 1 St. pag. 136.
- 12) Versuche für die praktische Heilkunde 1 Band. 1 Heft.  
Tübingen 1807.
- 13) Von den Entzündungen im Halse, besonders von der Angina polyposa und Asthma Millari. Berlin 1809.
- 14) Untersuchungen über die Natur, Ursachen und Heilung des Croup, aus d. Englisch. übers. v. d. F. D. Mohr mit anmerk. von J. A. Albers. Bremen 1809.

CHEYNE 15), HEIM 16), ALBERS 17), SACHSE 18), WIEUS-  
SEUX 19), SENFF 20), ceterique suis in hac re inquisitio-  
nibus plurimum de rebus medicis meriti sunt. Erunt  
ideoque forsitan, qui arrogantiæ id & superbiæ tribuant,  
aut haud fecus ac Iliaden post Homerum ducant, attin-  
gere rem, quam laudati viri, ingenio non minus clari,  
quam veritatis amore incliti tanta cura & diligentia jam-  
jam tractarunt. At si verum est, quod omnino est ve-  
risimum, in gravioribus morbis, ubi acetba imminet  
mors, experientiam omnem, etiamsi levissimam, maximi-  
sse pretii, nobis sane, Benevolè Lector, ignoscas, qui,  
Academicam edituri dissertationem, hanc materiem tra-  
ctandam nobis sumserimus, ut nostris, paucis licet, expe-  
rimentis ad stabiliendam, quantum fieri potuerit, metho-  
dum curandi morborum fere gravissimum conferamus.

A 2

Va.

- 
- 16) The Pathology of the membrane of the Larynx and Bronchia, 1809.
  - 16) Kritische Bemerkungen über Marcus Schrift: über die natur u. Behandlungsart der häutigen Bräune. Berl. 1810.
  - 17) Kritische Bemerkungen gegen einen Recension des Herrn Geh. Rath Hüm über Marcus Schrift, Berlin 1810.
  - 18) Das Wissenswürdigste über die häufige Bräune. Lübeck 1810.
  - 19) Mémoire sur le Croup. Geneve 1812.
  - 20) Ueber die Wirkungen der Schwefelleber in der häutigen Bräune und verschiedenen andern krankheiten, Halle 1816.

Varias varii auctores, varieque nationes, huic morbo tribuerunt denominationes. Sic illi. ENGSTRÖM 21) *Anginam suffocatoriam, Suffocationem stridulam HOME* 22), *Cynanche stridulam WAHLBOM* 23), *Cynanche trachealem RUSH* 24), *Anginam polyposam s. membranacea* hunc MICHAËLIS appellat. Sunt quoque, qui *Anginam stridulam, Suffocationem stridulam, Trachealem humidam* vel tantum *morbum strangulatorium* dicant. In Scotiæ regionibus *the Croup Crock vel Stuffing*, in quibusdam Angliæ locis *the Rising of the Ligs* 25), apud Svecos *Strypfjuka & a Teutonis die bautige Bräune* vocatur. Fennica gens huic morbo peculiare nomen haud tribuit. Videtur de morbi natura & indole minus claram & distinctam sibi formasse ideam. Inter Fenos enim audit *Kulkku tauti* f. *Kurkkku tauti* (a verbo *Kulkku* f. *Kurkkku* guttur & *tauti* morbus), qua vero denominatione insigniunt morbosas affectiones omnes, quæ anteriorem colli partem infestant, & deglutitionem respirationemque magis minusve impedirent; etiam *Hengen abdistus* (a verbo *Hengi* spiritus & ab-

- 21) Berättelser till Riksens Ständer, rörande Medicinal-Verkets tillstånd i riket, 1767.
- 22) An Inquiry into the Croup. Edinb, 1765.
- 23) Berättelser til Riksens Ständer, rörande Medicinal-Verkets tillstånd i landet, 1765.
- 24) A Dissertation on the Spasmodic Asthma of Children, in a letter to Dr Millar. London 1770.
- 25) Michaelis De angina polyposa s. membranacea, Göttingæ 1778. pag. 3.

*abdistus angustia), quod vero nomen & aliis morbis competit.*

At priusquam enarrandis morbi characteribus, delineandæque ejus imagini, & tractandi methodo describendæ operam impendimus, pace tua, B. L., anatomicam præmittimus illarum partium descriptionem, quas præcipue hic morbus infestat, & quidem talem, quam nos, cultro anatomico armati, & in fabrica partium enucleanda sedulo versati, vidimus in ipsam naturam optime quadrare. Anatomicas enim investigationes non modo scientiarum cupidis quam maxime jucundas & amoenas semper putavimus, verum etiam esse maximi pretii & momenti in dirimendis pathologicis disquisitionibus, quæ, his omissis, non posunt, quin mancæ valde & imperfæ evadant, nulli dubitamus. En igitur L. B descriptio nem *Laryngis & Asperæ Arteriæ*, nec non ejus ramifications, *Brevisiorum.*

*Larynx* superior vocatur canalis pars, qui, cum homo spiritum dicit, aëri præbet viam, per quam intrare & egredi potest. Positus est in anteriori colli parte & media, infra Os Hyoides, quocum per ligamenta & musculos cohæret, ante Pharyngem, eum a tergo amice amplectentem, nec non inter Carotides, quarum altera dextrorum jacet, sinistrorum altera. Superior apertura in cavum otis patet, inferior vero in Asperam Arteriam. Hunc cartilagine formant, numero novem, quarum tres impares sunt, ceteræ paria constituant tria. Ligamentis sibi invicem cartilagines connexæ omnes, mulculorum ope vario modo inter se moveri possunt.

Inferiorem partem vel basin quasi *Laryngis* constituit *Cartilago Cricoidæ* 26), quam etiam *Annularem* vocant.

26) Nomen Græcæ originis. Derivatur enim a verbo *Kēnos* pro *κίνος*, orbis, annulus.

cant. Signatorii annuli formam quadantenus hæc impar cartilago refert, & quidem ita, ut latior ejus pars retrorsum vergat, angustior vero antrosum spectet, margoque inferior, erecto nempe collo, horizontalem servet directionem, superior autem ab anterioribus retrorsum oblique ascendat. Ideoque Cel. HILDEBRANDT 27), hanc Cartilaginem in *Arcum anteriores & Parietem posteriores* haud inepte dividit. Pars illa Cricoidæ, quæ antrosum & ad latera Laryngem ambit, vel arcus anterior Cel:mi Hildebrandt, in medio minus quam in aliis locis alta & magis tenuis est, ad latera vero semet reclinans & posteriora petens, altior peditentim evadit & crassior, spatiuum includens elipticum, cuius distantia ab altero ad alterum latus major est, quam si ab anteriori ora ad posteriorem tendis. Facies hujus arcus externa a superiore margine ad inferiorem convexa, interna vero concava. Pars autem cartilaginis, quæ a tergo Laryngem claudit, vel paries posterior Cel:mi Hildebrandt, altissima. Facies ejus anterior leviter concava, posterior plana. Margo inferior longior, superior in medio nonnihil excavatus brevior, laterales margines ideoque convergentes. A superiore margine ad inferiorem *linea elevata* tendit, posteriorem Cricoidæ parietem in duas dividens æquales partes, pro musculis Cricoarytеноideis posticis excipiendis, paullisper sinuatas. Supra angulos ejus inferiores *superficies articulares* duæ rotundæ cernuntur, oblique extorsum & retrorsum positæ, quibus Cornua inferiora Thyoideæ cartilaginis annexuntur. Atque ad superiores angulos duæ aliæ, rotundiusculæ leviterque convexæ *arti-*

---

27) Lehrbuch der Anatomie des Menschen, Braunsweig  
1803. 3 Th. pag. 347.

ticulares facies, extrorsum sursumque spectantes, proximis cum cartilaginibus Arytænoideis, inveniuntur. Margo inferior hujus cartilaginis per totum suum cursum supremæ Tracheæ annulari cartilagini annexitur per Capsulare ligamentum, quod *Ligamentum Cricotracheale* nuncupant. Interdum processus cartilagineus ab inferiore hujus cartilaginis margine in primum tracheæ annulum utrinque tendit.

Laudatae cartilagini proxime incumbit *Cartilago itidem impar Thyreidea* 28) s. *scutiformis*. Altior ista & latior, minoris tamen crassitiei quam jam descriptæ cartilaginis paries posterior. Formatur proprie a duabus partibus dimidiis, quæ, formam scuti quadrangularis induentes, antrorsum sub angulo obtuso, in corpore fœmineo minus prominente, in unum coalescunt. Facies anterior cujusque dimidiæ partis leviter est transversim convexa. Linea vix elevata (*Linea obliqua*) a tergo antrorum oblique ad inferiora ibi tendit, pro inferendis musculis Sternohyoideis & Hyothyreoideis. Facies posterior, transversim considerata, nonnihil concava. Margo superior Cartilaginis in medio alte incisus *Hilum* exhibit s. *Incisuram medianam*, convexitatem deinde utrinque format, mox vero recto fere tendit tramite. Margo inferior in medio paullulum convexus, deinde utrinque nonnihil concavus, tum iterum convexus crassior & magis prominentis ut ibi parvum elevetur *tuberculum*, demumque concavus. Margines ambo laterales, qui retro spectant, ad lineam fere recti, paullisper tamen sinuati. Ad superiorem marginem in media una vel utraque parte foramen

---

28) A Vocabulo Græco θύρα, janua, scutum, derivatur.

men, per quod vasa sanguifera & nervi transgrediuntur, interdum offendit. Ex angulis, quos margines laterales cum superiore margine formant, processus oblongi, teretes, apicibus instructi obtusis retro nonnihil flexis, antrorum prominent *Cornua Superiora* Anatomici eos appellant. Ubi vero laterales margines inferiorem marginem attingunt, ex angulis utriusque processus itidem oblongi, teretes, paullo tamen præcedentibus breviores, crassiores abeunt antrorum flexi. *Cornua* hos vocant *Inferiora*, constituuntque apices eorum *superficies articulares*, rotundiusculas, oblique antrorum introrsumque flexas.

Sita est Cartilago Thyreoidea supra arcum anteriem Cartilaginis Cricoidæ, pariesque Cricoidæ posterior spatium, quod Thyreoideæ retrorsum spectantes margines laterales inter se relinquunt, implet. *Cornua* ejus Inferiora Superficiebus Articularibus Inferioribus Cricoidæ incumbunt, hisque annexuntur capsularium operigamentorum, quæ *Ligamenta Cricothyreоideа lateralia* nuncupant. Brevia hæc sunt, sed tamen ejusmodi, quæ motum quendam articulares inter superficies permittant; quo fit, ut Thyreoidea Cartilago detrahi & Cartilaginis Cricoidæ anteriorem arcum appropinquare, iterumque retrahi possit & semet inde elongare. Cohæret præterea Thyreoidea Cartilago cum Cricoidæ per *Ligamentum Cricothyreоideum medium*, quod & *Conoideum* vocant, quippe quod, validum admodum & conoideam formam exhibens, a media parte marginis inferioris Thyreoideæ, in superiorem marginem anterioris arcus Cricoidæ transeat. Superior autem margo Ossi Hyoidi per *Ligamenta* annectitur *Hyothyreоideа Lateralia* & *Ligamentum Hyothyreоideum medium*. Illa, gracilia quidem sed densa & apo-

apoheurotica a Cornibus Majoribus Ossis Hyoidis prœniunt & in Cōrnua Superiora Thyreoideæ abeunt; nec raro in ipsis latet corpusculum cartilagineum aut osseum. *Nodulum* s. *Granum* s. *Corpusculum Triticeum* dicunt. Hoc vero latum & validum e media parte faciei posterioris, quam habet Os Hyoides, in Thyreoideæ superiorem marginem, ejusque partem medium tendit. Exsistit præterea Os Hyoides inter & marginem superiorem Thyreoideæ *Membrana*, quæ ut continuatio Ligamenti medii considerari potest.

Terriam & quartam Laryngis Cartilaginem constituunt *Cartilagine Arytænoideæ* 29) s. *Guttæ* s. *Triquetrae*, *Dextra* scilicet & *Sinistra*, inter se forma simillimæ. Utique speciem quodammodo præ se fert pyramidis obliquæ, trigonæ, ad apicem truncatæ, retroflexæ. Triangularis ejus Basis leviter concava, inferiora versus & interiora flexa est, ut Superficiebus articularibus, quæ in Cricoidæ Posteriore Pariete obveniunt, cavitatum instar glenoidearum possit incumbere. *Ligamentis Cricoarytænoideis*, quæ articulationes tamquam capsulæ ambient, cum Cricoidæ conjunguntur. Atque, basi sic fundata, sursum antrorumque oblique tendunt, ut a posteriore superioreque latere superiorem cavitatis Laryngis oram terminent. Posterior facies, pro musculis Arytænoideis Obliquis & Transverso, leviter est concava. Inferior ejus Facies, quam etiam anteriorem vel exteriorem haud sine jure appellant, leviter convexa. Facies Internæ harum Cartilaginem, planæ fere, sibi invicem adjacent, ita tamen, ut ipsas inter spatii quoddam, ab Arytænoideis

B

mu-

---

29) Græcæ quoque stirpis; & Vocabulo Ἀγυρτεύα, Gutturnium.

musculis tectum, romaneat. Ad basin in margine poste-  
riore & exteriore ex insertione Musculi Arytænoidei cli-  
vulus formatur. *Tuberculum Cartilaginis Arytænoideæ* vo-  
cant. Articulatione, qua cum Cricoidæ conjunguntur,  
Arytænoideæ Cartilaginiæ non solum a semet invicem di-  
moveri, verum etiam antrorsum paullisper & retrosum  
possunt trahi.

Arytænoideæ Cartilaginiæ Thyreoideæ duo  
ligamentorum paria annexant. Superiora duo ligamenta,  
longa & teretia a facie inferiori nuperime descriptarum  
Cartilagineum, hujusque faciei superiori parte antrorsum  
& deorsum eunt, anguloque Thyreoideæ cartilagineis in-  
feruntur. *Ligamenta Thyreoarytænoidea superiora* ista s. *Li-*  
*gamenta ventriculorum*, spatiumque, quod his intercludi-  
tur, *Rimam Glottidis* non veram appellant. Duo vero in-  
feriora, vel *Ligamenta Glottidis* s. *Thyreoarytænoidea infe-*  
*riora*, teretia item, retrosum vero latiora, antrorsum angu-  
stiora, magnaque elasticitate praedita, ortum suum ab  
inferiori facie Arytænoidearum, inferius vero paullo  
quam precedentia, sed non tanta, quanta illa, a se invi-  
cem distantia, ducunt, antrorsumque & deorsum tendunt,  
& juxta semet invicem Angulo Thyreoideæ, mox sub-  
incisuram medium, inferuntur. Spatium, inter haec inter-  
cedens, *Glottidem* s. *Rimam Glottidis* dicunt. Est haec ri-  
ma, id quod e descripta jam ligamentorum directione fa-  
cile intelligitur, oblonge triangularis, ita ut basis ejus  
brevis retrosum, & quidem superiora versus, apex vero  
antrorsum vergat, & inferiorem locum, quam basis  
occupet.

Quia Cartilagineibus Arytænoideis Glottidis ligamenta  
annexantur, facilissime est ad judicandum, ipsam Glottidis

Ri-

Rimam, distractis a semet invicem cartilaginibus, dilatari, appropinquatis vero, coarctari. Rimæ illi Glottidis, ejusque vario statui originem præcipue debet sonus. Dilatata enim Glottide, aut si aër aliunde quam per Glottidem exit, nullus sonus. Ubi vero Rima tantum coarctatur, ut egrediens aër in Glottidis Ligamentis undulantem tremulantemque provocare posse motum, ibi oritur sonus. Quam maxime etiam probabile est a Rimæ Glottidis varia, vario pro temporis momento, dilatatione præcipue pendere, utrum alta vox evadat & acuta, an gravis magis & profunda. Ut enim maxime coarctata & intensa est ipsa Glottidis Rima, ita vox acutissima producitur; quo vero amplior & laxior Rima eo profundior vox. Nec tamen absonum, quod Ill. FERREIN 30) contendit, a ligamentorum majori vel minori tensione vocis altitudinem pendere. Quippe cum id constet, chordam magis tensam acutiorem reddere sonum, negari haud poterit, Ligamentorum tensionem variam varias producere posse vocis modifications.

Bina jam descripta inter Ligamentorum paria spatium sacciforme utrinque oritur, ab anterioribus retrorsum semet extendens, multasque habens cryptas muciferas in tela cellulosa tunicae vestientis occultas. *Ventriculi* vocantur *Laryngis* s. *Ventriculi Morgagni* ab Ill. MORGAGNI 31), qui eorum accuratiorem descriptionem exaravit.

Quinta Laryngis Cartilago *Lingula* est s. *Epiglottis*. Impar, ovata fere, palæ quodammodo habet formam,

B 2

fita

30) Memoires de l'Academie de Paris, 1741. pag. 409.

31) Vid. *Morgagni Adversarii*, I. V. Ejusd, Epistol Anat. VIII,

sita ante Glottidis Rimam ad posteriorem Linguae marginem Radix, cetera parte coarctatior, s. *Petiolus*, quem dicunt, faciei posteriori Cartilaginis Thyreoidæ, validi ope ligamenti, quod *Ligamentum Thyroepiglotticum* nuncupant, annexitur. Facies ejus Lingam spectans s. anterior est transversim convexa; altera vero, quæ versus Rimam Glottidis vergit, s. posterior, transversim concava. Apex ejus rotundatus, antrorsum nonnihil se flectit, ut facies anterior in medio longitudinaliter concava evadat, posterior vero convexa. Perforata Epiglottis crebris diversi diametri foraminibus.

Cum lingua cohæret per *Ligamentum Glossoepiglotticum*, quod nihil aliud est, quam duplicatura tunicæ Lingam vestientis, quæ a superiori Lingue facie in anteriem Lingulæ faciem transit. Conjungitur quoque cum Ossis Hyoidis parte media per *Ligamentum Hyoepiglotticum*, ligamentum valde tenue, quod membranæ instar, ex facie posteriori Ossis hyoidis in anteriorem Lingulæ faciem extenditur. Lingua semet non movente, Epiglottis partim sua Elasticitate, partim Ligamenti Glossoepiglottici ope, recta stat. In deglutitionis autem negotio ubi Lingua Palato apprimitur, a Lingue radice ipsa Lingula ita deprimitur, ut Rimam Glottidis tegat, ciboque & potui in Pharyngem transeuntibus pontem quasi præbeat.

Sextam & septimam Cartilaginem *Cornicula Laryngis* bina exhibent. Admodum parva, apicibus Cartilaginum Arytænoidearum, per fibras ligamentosas illis annexa, insident, apicibusque suis parvis introrsum flexa. Vocantur etiam *Corpuscula Santoriana*, a ill. SANTORINI 32) qui ea rite primus determinavit.

Car-

---

32) *Vid. Santorini Observat. Anatomic. pag. 97.*

Cartilagineas Arytænoideas inter & Epiglottidem  
huic tamen proprius, parvæ, utrinque in membranis la-  
tentibus, duæ offenduntur cuneiformes Cartilagineas, quas  
*Cuneiformes s. Co pustula Wrisbergiana*, ab ill. WRISBERG  
cui earum descriptionem debemus veram, nominarunt.  
Hæ vero Cartilagineas jam octavam & nonam Laryngis  
Cartilaginem constituunt.

Intus Larynx propria sua investitur tunica, quæ, bre-  
vi interveniente tela cellulosa, interiori Cartilaginum fa-  
ciei laxe adhæret. Ab ipsis Linguae integumentis conti-  
nuata nihil est aliud, quam continuatio cutis, qua totus  
Corpus vestitur, formatque, cum a lateribus radicis Lin-  
guæ in internam Laryngis faciem abit, insignes duplica-  
turæ, dextram alteram, alteram sinistram, sursum ere-  
ctas, quæ nomine *Ligamentorum Aryepiglotticorum* subve-  
niunt. Quod ad texturam & fabricam, mollis, vasculosa,  
humida simulque densa est & elastica, cuticulaque, quæ  
intimam constituit Laryngis membranam, instructa. Sen-  
silitas ei inest propriæ indolis, quippe quia, aërem respi-  
rationi inservientem si excipias, nihil quod Laryngem in-  
trat, ne purissimam quidem aquam, ferre potest. Ut aliae  
euriæ productiones, sic etiam hæc innumeris fere gaudet  
*Folliculis s. cryptis muciferis* 33), quæ per ductus suos  
excretorios, in imam membranam penetrantes, in inter-  
nam Laryngis faciem mucum transfundunt, eoque modo  
illam humidam retinent & lubricant. Vocantur etiam  
glandulae muciparae, licet id minus apte, quippe a veris  
gland

---

33) Nobis magis arridet crypta mucifera quam mucipara, quia  
nullo modo dici potest, cryptas hasce mucum unquam  
parasse.

glandulis, toto cœlo diversæ. Formam facci aut rotundi aut oblongi habent, ideoque pro latebris, ubi excipiuntur & servantur secreti humores, potius quam pro muci officinis habendæ. Sunt earum nonnullæ ejus magnitudinis, ut specillo gracili possint explorari, ceteræ vero tam parvæ, ut non nisi oculo bene armato cerni possint. Quæ in anteriori Epiglottidis facie occurrunt, mucum suum per foramina, quibus perforata est Epiglottis, in posteriore faciem transmittunt, eique muco admiscent, qui a cryptis, in posteriore Epiglottidis facie sitis, propullulat. In Laryngis Ventriculis major copia cryptarum latet. Et ad inferiorem cujusque Cartilaginis Arytænoideæ faciem, ejusque partem anteriorem, supra posteriorem faciem Ligamenti Thyreoarytænoidei Superioris Congregatio ejusmodi cryptarum muciferarum offenditur. Vocant hancce *Glandulam Arytænoideam*, licet, ex nostro saltem judicio, magis inepte. Consistit nempe a cryptis muciferis ad se invicem dense & arcte positis, & ad Lossii 34) sic dictas Glandulas Conglutinatas refertur.

Musculorum vi totus Latynx movetur, moventur quoque inter se invicem Cartilagine. Illud *Musculi Laryngis majores* s. Accedentes, quos dicunt, nempe *M. Sternothyroidei* & *Hyothyreoides* efficiunt, hoc peragunt *Musculi Laryngis minores* s. proprii, scilicet *M. Cricothyreoides*, *Thyreoarytænoidei*, *Cricoarytænoidei Postici*, *Cricoorytænoidei Laterales*, *Arytænoidei Obliqui*, *Thyreopiglottici* & *Arytænoideus Posticus*.

*M. Sternothyreoides* a posteriori Manubrii Sterni facie & quidem ab ejus superiori parte, atque a posteriori facie

---

34) Vid. JEREM. LOSS resp. Georg. Pielow de Natura glandularum in genere. Viteb. 1683.

cie Primæ Costæ, nonuumquam etiam ab eadem Costæ secundæ facie tendineus uterque oritur, coarctatusque recta ascendit a loco suo divergens, & anteriori Thyreoidæ Cartilaginis faciei, ejusque Lineæ Obliquæ per tendines inseritur fibras. Cartilaginem Thyreoidam & una cum illa totum Laryngem detrahunt, recto si una agunt tramite, sin vero singuli obliquo.) Dilatant ideoque Glottidem.

*M. Hyothyreoides* oriens a margine inferiore Ossis Hyoidis partim e radice Cornu ejus majoris partim e media parte, recta uterque descendit, brevis & latus, ad Cartilaginis Thyreoidæ faciem anteriorem, ubi Lineæ ejus Obliquæ inseritur. Ossi Hyoidi, si id fixum, Cartilaginem Thyreoidam, & cum illa totum Laryngem, adducit, minuitque Glottidis Rimam.

*M. Cricothyreoides* ab anteriori Cricoidæ Arcus facie, ejusque media parte ortum suum ducens, oblique extorsum sursumque tendit, e duobus consistens fasciculis distinctis, inferiorique margini Thyreoidæ inseritur, & quidem ita, ut alter fasciculus internæ Tuberculi faciei prope angulum, alter vero faciei Tuberculi externæ non longe a Cornu inferiori inseratur. Hujus musculi ope Cartilago Thyreidea ad Cricoidam adducitur.

*M. Thyreoarytenoideus* a posteriori facie Thyreoidæ Cartilaginis, utrinque juxta angulum ejusdem principio admodum extenso proveniens, oblique sursum & retrorsum ascensit semet contrahens, inferiorique Arytenoideæ faciei annexitur fines inter *M. Arytenoidei Transversi* & *Cricoarytenoidei Lateralis*. Nonnullæ fibræ, superius paulo quam ceteræ provenientes versus posteriora tendunt & in faciem Arytenoidearum externam abeunt. Aliæ vero

vero in externum Ventricorum parietem transeunt, illosque, cum contrahit se musculus, comprimentes, muci ibi latentis ejaculationem promovent. Aliæ demum in Epiglottidem ascendunt, illamque deprimunt. Dum agit, Cartilaginem Arytænoideam antrorsum deorsumque trahendo, Glottidis ligamenta laxat, ideoque Rimam dilatat 35).

*M. Cricoarytænoideus posticus* a Cricoidæ Cartilaginis pariete ejusque facie posteriori prope ad longitudinalem lineam oritur, sensim coarctatus oblique extorsum ascendit & Tuberculo Arytænoideæ Cartilaginis infigitur. Cartilaginem Arytænoideam extorsum retrosumque trahens, alteram ab altera auffert, Rimamque Glottidis eo modo dilatat.

*M. Cricoarytænoideus lateralis* a laterè Arcus Cricoidæ ejusque facie exteriori ortus, sensim contractior in exterius Arytænoideæ latus oblique introrsum ascendit, propeque ad basin inseritur. Arytænoideas Cartilagineas extorsum trahit, Rimam ideoque Glottidis dilatat.

*M. Arytænoideus obliquus* a parte exteriori & posteriore Cartilaginis Arytænoideæ juxta basin oritur, faciem superiorem oblique transgrediens in superiorem faciem alterius cartilaginis ascendit, ibique ad apicem annexatur cum Thyreoarytænoidea lateris alterius conjunctus. Nonnullæ fibræ ad infimam marginis Epiglottidis partem abeunt (*Aryepiglotticus*). Nonnumquam istorum musculorum alter

35) CONSBRUCH, *Albinum* sequens, contendit, sed perperam, Rimam Glottidis ab hoc musculo coardari. Vide C. W. Conbruchs *Anatomisches Taschenbuch*. Leipzig. 1806. p. 210.

alter deest. Unam Arytænoideam Cartilaginem ad alteram trahens Rimam Glottidis coarctat. Idem efficit

*M. Arytænoid us transversus*, unicus ille inter Laryngis musculos, qui pare caret, ab externo margine unius Arytænoideæ Cartilaginis ad eundem marginem alterius, faciem superiorem harum Cartilaginum obtegens, transit.

*M. Thyneoepiglotticus* oritur ab interna facie Thyreoidæ Cartilaginis juxta Thyreoarytænoideum, & ascendit in Epiglottidem, ubi margini ejus laterali inseritur. Epiglottidem ad Riniam attrahit.

Sanguinem Laryngi Arteriæ laryngeæ, Superior nempe & Inferior impertuntur,

*A. Laryngea Superior* ab Arteria Thyreoidea superiori proveniens, inter Os Hyoides & Cartilaginem Thyreoidam intus descendit vel foramen Thyreoideæ transit, ut in internam Laryngis Membranam & musculos adjacentes distribuatur. & cum sodali sua & cum Laryngea inferiori anastomosi conjuncta, rete illud formet capillare, unde exhalantia vasa & venarum stamina.

*A Laryngea Inferior* ramus est Arteriæ Thyreoideæ Inferioris, quæ Cervicali Ascendenti Subclaviæ ortum debet. In inferiorem Laryngis oram ascendens, per intervalla musculi Cricoarytænoidei Posterioris Laryngem subit, diffunditurque in Cartilagineas, musculos & tunicam internam, cum sodali sua & superiori Laryngea anastomosi communicans.

Sanguinem revehunt Venæ, *Laryngea superior & inferior*, quæ arterias fraterne comitantur, & in Venas Thyreoideas abeunt.

C

Ner.

Nervos Larynx a Nervo Vago accipit, *Laryngeum nimirum Superiorem, & Inferiorem s. Recurrentem.*

*N. Laryngeus Superior* a Vago radicibus saepe binis ortus, pone Arteriam Carotidem Internam oblique introrsum descendit ad oram Laryngis superiorem, spatiumque, quod Os Hyoides inter & Laryngem intercedit, penetrat, interdum etiam Foramen Thyreoideæ; ubi adeat, transit, in internam membranam musculosque multifario modo dispergitur & cum furculis Recurrentis nervi conjungitur. Priusquam Laryngem intrat, *Ramum externum* ablegat, qui unam vel alteram fibram a Ganglio Cervicali Supremo recipiens, semet distribuit in Musculos Sternothyreoideos, Thyreohyoideos, Cricothyreoideos, cet.

*N. Laryngeus Inferior* s. *Recurrens* a nervo vago, iam in Pectoris Cavum intrato, sub acuto angulo deorsum exit, & quidem in dextro latere ante dextram Subclaviam, in sinistro vero ante posteriorem Arcus Aortæ partem, retrorsum deinde circum Subclaviam in dextro latere, in sinistro circa Aortæ Arcum semet flectit, & tum in inferiorem Laryngis oram oblique introrsum retro Carotidem Internam ascensit. In hoc itinere Plexum Cardiacum, & Anteriorem Pulmonalem furculis auget, Oesophago, Arteriæ Asperæ, Membranæ Laryngis internæ, musculisque, cet. furclos ablegat.

Vasis absorbentibus quoque Larynx gaudet; glandulas lymphaticas, venis jugularibus, proximisque locis adstratas ista intrant.

Sed hæc haec tenus de ipsa Laryngis Fabrica. Jam opera in eo consumenda est, ut vera & accurata Asperæ Arteriæ & Bronchiorum exhibetur descriptio.

*Aspe-*

*Aspera Arteria s. Trachea* 36), s. *Bronchus* 37) s. *Fistula Spiritalis* canalem exhibit fere cylindricum, inferiora versus paullisper arctatum. A Laryngis inferiori ora ortus, per medium anteriorem Colli faciem, Oesophago sinistra sua dimidia parte incumbens, descendit in Cavum Pectoris, & pone Aortæ Arcum Intervallum Mediasteni posticum intrans ad secundam vel tertiam dorsi vertebram in duos ab ramos, quos *Bronchos* vocant. Ad ejus latera magna Capitis sanguifera vasa, Nervus Vagus & Sympathicus vasaque absorbentia suis cum glandulis posita sunt. Ante se musculos Sternohyoideos & Glandulam Thyreoideam habet.

Formatur hic tubus ab *Arcibus cartilagineis*, qui oram ejus antefiorem & lateralem terminant, & *Membra- na musculosa*, quæ a tergo canalem claudit. Arcus hi cartilaginei, magis lati quam crassi, litteræ C instar, sigmoidem formam habent, duosque circiter trientes circuli explet; Tracheam apertam retinent. Media arcus pars crassior, fines magis attenuati. Supremus plerumque latissimus, ceteri ut inferiores ita graciliores, licet id non perpetuum, aut in progressionе quadam mathematica. Infimus tribus marginibus arcuatis ornatus, ut possit Bronchis inseri. Numero viginti circiter, magis minusve a se invicem distant, superiores plerumque magis. Compactæ & stipatae insident membranæ, cujus laminis & externe & interne obducuntur; retrosum hæc eadem membrana continuatur, canalemque a tergo claudit. Ab altera arcus ejusdem extremitate ad alteram fibræ muscularæ, lau-

C. 2

da.

36) A Græco Vocabulo *τραχεύς*, asper, derixanda.37) A Græca Voce *βρογχός*, Guttur.

datam membranam transeuntes, tendunt, ad formandum canalem adjuvant, illamque, dum agunt, coactant. Marginem inter inferiorem singuli arcus superioris & superiore marginem inferius proxime jacentis fibre musculares existunt, — interdum etiam in tertium arcum trans-eunt, — quæ, agentes, arcus ad se invicem attrahunt, & ea re Tracheam breviorem reddunt. Internum itidem inter tunicam & fibras musculares transversas, quæ apices Cartilaginum conjungunt, graciles fasciculi fibrarum longarum, albicanum, elasticarum offenduntur. Oriuntur istæ ab inferiore margine Cricoidæ & per totum Canalem ejusque posteriorem parietem prograduntur. Ubi vero Cartilagine desinunt, fibrarum multæ antrorsum semet flectunt, & eo modo Canalem ambientes, per omnes ejus furculos continuantur 38). Quod ad ipsarum indolem, non multum a natura fibrarum muscularium discrepant, meritoque in semimusclos Cel. AUTENRIETH 39) referri possunt. Asperam Arteriam, dum agunt, breviorum reddunt.

Interna Tracheæ facies Membrana propria vestitur, quæ continuatio propriæ Laryngis tunicæ est, & eandem atque in la fabricam habet & naturam. Multisque gaudet cryptis muciferis, quæ vuucum intimæ membranæ imperitiunt; obducitur eadem Intima Cuticula. Membranam Tracheæ extimam tela format cellulosa, qua adjacentibus locis annexitur.

Ad

---

38) Vid. REISSEISEN über den Bau der Lungen. Berl. 1808, pag. 17.

39) Handbuch der empirischen menschlichen Physiologie, Tübingen 1801. 1 Th, pag. 88.

Ad tertiam Dorsi vertebram vel paullo altius ubi im-  
duos Bronchos Trachea abit, quilibet eorum, a se invi-  
cem sub obtuso angulo, recto autem fere ab ipsa Trachea  
divergentes, oblique extrorsum in fui lateris pulmonem  
descendunt Pleura vestiti, *Dexter* sub arcum venæ Azygæ  
retro Venam Superiorem Cavam, *Sinister* sub Arcum Aor-  
tæ ante Aortam ascendentem; brevior ille & amplior,  
hic longior magisque coarctatus. Ambo, haud secus ac  
Trachea, propria gaudent tunica & intima, folliculis mu-  
citeris, cartilagineis arcubus, fibrisque muscularibus tam  
transversis quam longitudinalibus.

Bronchi deinde, dum Pulmones intrarunt, magis  
magisque, & quidem bifurci in ramos (*Bronchia s. Syringes*, s. *Aortas* vocant), arborum instar discedunt, quo fit  
ut rami, quoad diametrum, magis magisque attenuati  
evadant, & demum juxta se invicem posita, superficiem  
Pulmonum versus terminentur.

Qui in Bronchis areus cartilaginei occurunt ad for-  
mam & situm eis similes, quos in Trachea invenies,  
vix dimidiā lineæ partem a semet invicem distant. Vix  
autem bronchi in ramifications dividuntur, normalem  
nec formam nec situm Cartilagines amplius retinent, ve-  
rum hic illic per totam rami peripheriam, & quidem ra-  
pius offenduntur. In majoribus ramis, quorum dia-  
meter tres implet lineas, Arcus Cartilaginei dimidium cir-  
culi ambitum tenent; inveniuntur plerumque in locis,  
ubi ramulus exit, insidentque superiori parieti, ut lumen  
apertum servent. Pro eodem scopo, ad radicem cujus-  
que rami, qui dimidiā lineæ partem tenet, segmenta  
duo sibi invicem opposita cernuntur. In ramo, qui ter-  
tiam lineæ partem habet, difficile est, frustulum cartilagi-  
neum,

neum, hic illic positum, visu vel tactu detegere. Ubi vero ramus non magis quam decimam lineæ partem habet, nibil adebet cartilaginis, sed totus quantus membranaceus est 40), retineturque apertus ab aëre, qui, simulac inspiratio semel facta est, ramulos non relinquit. Tunica nimirum Laryngis propria non solum Tracheam & Bronchia per omnes ramifications vestitur, verum etiam, cum Cartilagini desinunt, canalis formam servans pergit in ramos abire, qui magis magisque graciles, coarctati & crebri evadunt, donec in fines desinant impervios. Nec igitur Cellulæ Aëreæ, quas dicunt, sunt, nisi extremitates ramifications Bronchiiorum non perviae, quæ, quippe crebro admodum & dense juxta semet invicem positæ, speciem præ se ferunt cellularis substantiæ. Cel. REISSEISEN (*über den Bau der Lungen*) experimentis rite & summa cum cura & studio institutis, hoc supra dubitationis aleam omnem posuit. Eadem nos, duce celeberrimo viro, instituimus experimenta, & sic effecimus ut nobis quam perswasissimum sit, rem ita se habere. Ut vero etiam tibi L. B. res clara evadat, ista experimenta hoc loco afferre libet.

Si itaque in pulmone vitulino Tracheæ ramus in media sua parte præparatur, filoque circumdatur, deinde ex Tracheæ trunko inflatur & filo arcte ligatur, facile certatur, ramos infra ligaturam omnes aëris plenos manere; id quod satis demonstrat, impervios esse ramorum fines. Nam si Bronchiiorum ultimi rami in telam cellulofam abiarent, tum, quæ telæ cellulofæ est indoles & natura, una cel-

40) Vid. SOEMMERING *über den Bau der lungen*, Berl. 1808.  
pag. 66.

cellula cum altera communicaret, aër ab una cellula in alteram transgrediens peditentim dederetur, & inflata pars collaboreretur.

Item, si Hydrargyro Ramorum Tracheæ quidam impletur, ligaturaque arcte constringitur, lobusque, in quem ramus dicit, ita locatur, ut Hydrargyrum, gravitatis vi impulsum, foras tendeat, facile observatur. Hydrargyrum de lobo ligato haud migrare, ne tum quidem, cum lente protruditur.

Porro, si Argentum Vivum in Pulmonis partem per Tracheæ ramum infundis, lobumque in planam collocas superficiem, nunc vero manubrio scalPELLi argentum len-te & peditentim protrudis, donec marginem lobi attingat, clare sane & distincte, armaato vero oculo, cernes, quomodo argentea columnæ in regulares abeat cylindri-cos ramos, magis magisque tenues, crebros & breves, quomodo ramuli in lobi marginem demum terminentur, convexique, tamquam parva hemisphæria, sub pleura pulmonali promineant.

Adferamus denique experimentum, quod, ut nobis videtur, rem opùme demonstrat. Pulmonem recentem subjecti junioris in aquam primum posuimus, ibique per aliquot dies reliquimus, quo factum est, ut pars quædam aere liberata collapsa sit. In multis lobulis rami quidam adhuc cernebantur aëris pleni. Deinde pulmonem in calidam aquam immersimus, quo effecimus, ut aër resi-duis expanderetur, ramique eo modo elevati, in rubro-fundo, quem collapsi ramusculi constituerent, oculis optime cernerentur. Tum manubrio scalPELLi parvam aëris

aëris columnam in ultimos ramusculos lente protrusim⁹  
& vidimus fines ramulorum impervios.

Primam de imperviis ramulorum trachealium finibus ideam Ill. MALPIGHI (*Epiſtol. I. de Pulmon.*) dedit, contendens, tunicam Tracheæ internam in ſinus & veficulas terminari. Ill. vero HELVETIUS variis experimentis demonſtrare conatus eſt, veficulas malpighianas nihil eſe aliud, quam irregularis tela cellulosa, quæ tenerrima ultimos Bronchiorum fines patulos ambiret. Ipſe HALLE-RUS 41) in eandem inclinavit ſententiam, adoptata vero vagina, quæ prohiberet, ne de lobulo in vicinum lobulum aër transeat. Ejusmodi vere minime exiſte vaginam Ill. REISSEISEN 42) experimentis oſtendit. Sunt tamen adhuc Anatomicorum permulti, qui cellularē textū defendant, licet id, ut nobis videtur & a ſupra allatis experimentis patet, perperam.

Facta circa fines Bronchiorum ultimos digreſſione, ad Tracheæ contemplationem redeamus.

Ubi Trachea in duos abit Bronchos, ibi in ipſo angulo, quem Bronchi faciunt, *Glandula Bronchialis maximo* ja-cet, una ex lymphaticis glandulis. Aliæ lymphaticæ glandulæ, minores licet, crebro admodum & frequenter offenduntur vel in ipſis ramorum radicibus, vel in tela cel-lulosa, quæ pulmonales lobos intercedit. Eas glandulas transgrediuntur vasa lymphatica, quibus Pulmones gau-dent numerosiſimis, & partim in Ductum Thoracicum partim in truncos, qui ad venas Jugulares ducunt, abeunt.

Asperæ

---

41) Vid. ALB. HALLERUM de partium corporis humani fabrica. Holmiæ 1779. Thom. VI pag. 291.

42) Vid. REISSEISEN l. c. pag. 9,